

## PARS SECUNDA.

### ECCLESIAE CHRISTI INVENTIO.

#### QUÆSTIO PRÆVIA.

##### 79. — De necessitate veram Christi Ecclesiam inveniendi et ei adhærendi.

Ex dictis in I<sup>a</sup> Parte, satis patet quàm necesse habeamus veram Christi Ecclesiam invenire et ei adhærere, tum ut doctrinam Christi tutò doceamus, tum ut conjunctim regamur in ordine ad salutem.

Atque hinc intelligere est axioma illud vulgatum : *Extra Ecclesiam non datur salus* (1). Quod quidem verum est in duplici sensu, scilicet :

1<sup>o</sup> Qui *culpabiliter* extra veram Christi Ecclesiam manet, nequaquam poterit in alterâ vitâ salvari, et damnationem

(1) « Extra Ecclesiam nullus salvatur. » *Conc. Carthagin.* IV, a. 398, inter articulos ab episcopo ordinando requirendos. (Ap. Mansi, t. III, p. 950) Cfr et S. Cyprian. *De Unit. Eccl.* c. vi. — Item : « Extra Ecclesiam catholicam totum potest (haberi) præter salutem. » (S. Augustin., *Sermo ad Cæsar. eccl.*, n. 6.; ante *L. de Gestis cum Emerito.*) Idem : *De baptismo contra Donatistas*, l. IV, c. ix, xiii. Cfr et *Epist.* 141, n. 5; etc., etc. — Item et cæteri Patres, quorum V. plures cit., v. g., ap. Du Perron : *Réplique au roy de la Grand' Bretagne*, p. 14, 68, etc.

Cæterum in explicationem et justificationem hujus doctrinæ, V. Perrone : *Tr. de verâ Relig.*, p. II, prop. XI; vel ap. Migne, *Theol.*, t. VI, p. 1245; — Duvoisin : *Essai sur la Tolér.*, I; ibid. p. 1276; — Frayssinous : *Confér., Maximes de l'Egl. sur le salut des hommes*, 2<sup>o</sup> P.; — *De Intolerantiâ Catholicâ seu de sententiâ* : « *Extra Ecclesiam nulla salus.* » à Jos. Buroni (Taurini 1868); — etc.

incurret positivam. — Etenim, ut ait auctor *Sermonis IV, de Symbolo ad Catechum.* (inter opp. S. August., t. VI, p. 668), « nec habebit Deum patrem qui Ecclesiam non » luerit habere matrem. »

Et ille est quidem supradicti axiomatis sensus qui imprimis generatim apud Patres apparet. — Est tamen et alius quoque verissimus sensus, scilicet :

2<sup>o</sup> Qui etiam *inculpabiliter* extra veram Christi Ecclesiam versatur, quibusdam carebit mediis salutis illic positus, et proinde salutis fructus, si qui sint, quos non nisi per ista media obtinuisset vel recuperasset, non consequetur, licet certè nunquam citra ipsius merita vel demerita sit judicandus (1) (Cfr *Tr. de Verâ Relig.*, p. 63).

Et ii quidem duo modi axioma supradictum explicandi nullatenus certè culpari possunt, etsi prior magis videatur ad mentem Patrum appositus (2).

**80. — Hujusce partis distributio.** — Quum igitur tanti sit momenti veram invenisse Christi Ecclesiam, operæ pretium erit 1<sup>o</sup> recapitulare, è principiis in præced. Parte positus, quænam sint notæ Ecclesiæ essentialis;

2<sup>o</sup> notas illas applicare variis Christiani nominis communionibus in mundo exstantibus, ut inde dijudicemus cuinam debeamus conjungi.

(1) Ad hoc refertur id quod observat Arriaga, è S. J. theologus (*Disput. theol. in summam S. Thomæ*, t. V, p. 81; 1649) : « Quod ad hæreticos » cos attinet, facile admitterem, ex ignorantia invincibili..., majori ex » parte illos excusari, et valde paucos habere peccatum formale et proprium » prius contra Fidem, etiamsi alioquin damnetur quia omni carent remedio » contra alia peccata. »

(2) Est et alius adhuc, apud recentiores, supradictum axioma interpretandi modus, quem non itidem laudaverim. Nempe, inquirunt : « Extra Ecclesiam..., id est, extra Animam Ecclesiæ... » Quod certè in meram tau- » tologiam recidit, quasi quis diceret : « Extra collectionem justorum, non » dantur justis. » — Sed et insuper nec in usu, nec sine periculo videtur ita dicere *Ecclesiam* simpliciter pro *Animâ Ecclesiæ*; sicuti mox explicabitur.

Duplex ergo erit Caput; 1<sup>um</sup> nempe : *Recapitulatio* notarum veræ Christi Ecclesiæ;

2<sup>um</sup> :  *Applicatio* notarum Ecclesiæ ad varias Christiani nominis communiones.

### CAPUT PRIMUM.

RECAPITULATIO NOTARUM VERÆ CHRISTI ECCLESIAE (1).

81 — Nota Ecclesiæ *primaria* : — unde — 82 — confutantur I<sup>o</sup> ii qui Ecclesiam volunt merè spiritualem et *invisibilem*; — 83 — II<sup>o</sup> ii qui Ecclesiam fingunt *syncretistam* et indeterminabilem. — 84 — Speciatim de systemate Juris; itemque — 85 — de systemate *Vix mediæ*. — \* 86 — Quomodò determinetur quinam habendi sint de Ecclesiâ? — 87 — Ecclesiæ definitio, et quatuor illius *notæ secundariæ*.

81. — **Nota Ecclesiæ primaria** : — E notione veræ Christi Ecclesiæ in præcedenti parte latè evoluta, duo colligere fuit, scilicet : 1<sup>o</sup> Ecclesiam esse *societatem* propriè dictam (*Coroll.* è Cap. I<sup>o</sup>, p. 74), et 2<sup>o</sup> hanc societatem esse *unam et apostolicam* (*Coroll.* è Cap. II<sup>o</sup>, p. 215, 216), itemque *catholicam et sanctam* (Cap. IV, pp. 267, 278). — Prius porrò punctum (uti jam annotavimus pp. 12, 16), licèt jam pridem à Protestantium antesignanis labefactaretur, vix tamen olim à quoquam expressè negabatur; ideòque tota ferè cum eis controversia in notis, ut ita dicam, secundariis versabatur. Nunc autem, è logico controversiæ progressu, tota penè fertur in illud prius punctum; proindeque ostendendum est imprimis quomodo, illâ primariâ et essentiali *societatis* notione semel stabilitâ (quemadmodùm vel à Capite I<sup>o</sup> Partis præced. abundè fecimus), jam falsæ, quas adversarii sibi fingunt, de

(1) Hæc recapitulatio indifferenter poni potuisset in fine 1<sup>æ</sup> partis. Cfr autem observata in *Præfat.*, § II, III.

Ecclesiâ ideâ statim evanescent, et quatuor exindè secundariæ notæ ab omni antiquitate vulgatæ quam facillimè illi primariæ notioni superaptantur, et cum eâ ad practicam veræ Ecclesiæ discretionem applicantur.

Illæ porrò falsæ de Ecclesiâ ideâ ad duos principales revocantur typos, scilicet, ad *Ecclesiam merè spiritualem et invisibilem*, et ad *Ecclesiam syncretistam et indeterminabilem* (1). Qui singulatim confutandi sunt simul ac exponendi.

82. — **I<sup>o</sup> : Confutantur ii qui Ecclesiam volunt merè spiritualem et invisibilem.** — Ex dictis nempe Ecclesia est *societas* propriè dicta (n. 29), quæ, nimirum, membrorum singulorum submissione erga certam quamdam Auctoritatem constat. — Atqui profectò talis societas esse non posset, si non Auctoritas hæc cerni posset à subditis, et subditi ab ipsâ cerni possent (2). — Ergo necesse est omnia Ecclesiæ membra, sive quæ auctoritatem habent, sive quæ submissionem debent, non interno tantùm caractere sed externo ac visibili designari; proindeque

(1) Illud jam suo tempore advertēbat card. Du Perron. (*Réplique au roy de la Grand' Bretagne.* p. 7) : « ... La cause ou plutôt le prétexte du » mal vient de deux vices que les adversaires de l'Eglise commettent en la » définition du mot *Eglise*, qui en rendent la possession incertaine et dis- » cutable. L'un est la restriction frauduleuse du terme d'Eglise au seul » nombre invisible des prédestinés, par laquelle, quand ils se sentent » pressés de représenter la succession de leur Eglise, ils se sauvent, comme » l'Énée d'Homère ou le Cacus de Virgile, dans l'obscurité et les ténèbres. » L'autre est l'extension équivoque et captieuse du même mot, *Eglise*, à » toutes les sectes qui font profession du nom de Christ, par laquelle, » quand ils se voient exclus de leur refuge d'Eglise invisible, ils recourent » des ténèbres à la confusion et confessent bien qu'il y a toujours eu une » Eglise visible, mais tantôt pure en la foi et tantôt impure, c'est-à-dire, » tantôt Eglise, et tantôt non Eglise. » Prius confutat infrà cap. IX, et posterius c. X. — Cfr et Bossuet : *Hist. des variations*, l. XV.

(2) V. hoc argumentum apprimè evolutum à concilio Senonensi, a. 1528; ap. Labbe, t. XIV, p. 445.

Ecclesia, qualis ex institutione Christi intelligenda est, non, sicut hæretici plurimi intelligere affectarunt ad declinandam ejus auctoritatem, cætus merè spiritualis erit, qui nullo modo distingui possit; erit autem societas externa, planè visibilis ac discernibilis.

Et ii quidem hæretici nonnullis abutuntur quandoque Scripturæ locis in quibus nempe agitur de cœtu justorum quos novit Dominus et qui sunt ejus (II Tim., II, 19), vel etiam de ecclesiâ primitivorum qui conscripti sunt in cælis (Hebr., XII, 23; cfr et I Joan., II, 19), etc., ut inde inferant Ecclesiam à Christo fundatam non aliam esse ac illam invisibilem planè atque indiscernibilem collectionem justorum (1), vel etiam prædestinatorum, i. e., eorum quos Deus præscivit vel specialiter voluit salutem finaliter consecuturos (2).

Verùm 1º satis patet adversarios non modò non attendisse iis omnibus textibus quibus Ecclesiæ visibilitas indirectè adstruitur eo ipso quòd demonstratur ejus organizatio in societatem, sed nec iis etiam quibus illa ejusdem visibilitas, imò et supereminens visibilitas, directè asseritur et extollitur. Ipsa enim Ecclesia est *mons ille domûs Domini præparatus in vertice montium, ad quem fluent omnes populi* (Mich., IV, 1; Is., II, 2). Ipsa est *civitas illa quæ*

(1) Ita plurimi tum antiquitatis hæretici, uti Novatiani, Donatistæ etiamque Pelagiani (S. August. : *De hæres.* LXXXVIII); tum Medii Ævi, uti Albigenes et Valdenses. Hunc errorem adèò sibi commodum multi è Protestantibus amplexati sunt, post nonnullas tergiversationes, (ut videre est ap. Bossuet : *Hist. des Variations*, l. XV; Mæther : *La Symbolique*, t. II, p. 110 et seq.; Perrone : *De locis theol.*, p. 4, n. 66). Hunc exprimit præsertim *Confessio* eorum *Scotiana*, art. 16 : « Ecclesia est invisibilis, soli Deo nota, qui solus novit quos elegit... » — Huic etiam ex line accessit Quesnellus Jansenianus : *Prop.* 72 et seq. (V. apud Migne : *Theol.*, t. VI, p. 741).

(2) Ita Wiclef et J. Hus, quorum V. propositiones apud Migne, t. VI, p. 657. Hæc est Joannis Hus 1ª : « Una est sancta universalis Ecclesia quæ est prædestinatorum universitas. »

*non potest abscondi supra montem posita* (Matth., V, 14); ipsa *lucerna quæ non in abscondito ponenda est neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant* (Luc., XI, 33; VIII, 16; Matth., V, 15; Marc., IV, 21)..., et alia multa quæ expendi solent ubi de *Catholicitate Ecclesiæ*. — Similiter et Patres Ecclesiam dicunt *plenam fulgore* (Origen. suprà cit. p. 63), *luce perfusam* (S. Cypr. *De unit. Eccl.*); eam *digito ostendunt*, utpote *apertam et manifestam*, (S. August. *Tr. I in I Ep. Joan.*, n. 13); etc., etc. Hæc enim omnia quomodò dici potuissent de cœtu invisibili atque indiscernibili, qualis esset justorum vel prædestinatorum?

Item 2º satis patet Ecclesiam illam de quâ Scriptura et Traditio adèò loquuntur, *non solis* componi *justis* vel *prædestinatis*; siquidem apud Scripturas passim Ecclesia seu *regnum Dei* his in terris usque in diem judicii assimilatur *aræ* in quâ *triticum* et *palex* (Matth., III, 12; Luc., III, 17), *sagenæ missæ in mare* et *ex omni genere piscium congreganti* (Matth., XIII, 47), *convivio nuptiali* in quo *mali* et *boni* et *homo non vestitus veste nuptiali* (Matth., XXII, 10, 11), *decem virginibus* è quibus *quinque erant fatuæ* et *quinque prudentes* (Ibid., XXV, 2), *magnæ domui* in quâ *non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia*; et *quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam* (II Tim., II, 20), etc. — Et SS. Patres has et similes comparationes in sensu nostro directè explicarunt, uti passim et ubique S. Augustinus qui inde premit Donatistas (V., v. g., *De Baptismo*, l. VII, c. LI; *Contra litt. Petiliani*, l. III, c. XII, etc., etc.). — Item S. Hieronymus : « Arca Noe » Ecclesiæ typus fuit... Ut ibi *pardus* et *hædi*, *lupus* et *agni*; *ita et hic justis et peccatores*, id est, *vasa aurea* et *argentea cum ligneis et fictilibus commorantur.* » (*Dial. adv. Luciferianos*, n. 22). Ita et Origenes, S. Cyprianus, S. Chrysostomus, etc. — Et certè Judas *fur erat* (Joan., XII, 16) et *filius perditionis* (Ibid., XVII, 12);

attamen de Ecclesiâ erat, imò et jam aliquam auctoritatem in Ecclesiâ exercebat, utpote Apostolus electus. Ergo, etc.....

Ergo ex his omnibus abundè patet Ecclesiam à Christo fundatam omninò aliam esse ac cœtum justorum vel prædestinatorum, ad quem quidem ordinatur, sed cum quo non confundenda est (1). — Ad cœtum *justorum* nempe ordinatur *tanquam corpus ad animam*, quam scilicet complecti ac sustentare natum est; ideoque justî, undequaque existant, ad *animam* Ecclesiæ pertinere dicuntur, juxta vulgatum loquendi modum, et *corpus* ejusdem intrare tenentur, aut certè justî esse desinunt (2); sed tamen fieri potest per accidens, putà ex ignorantia vel impossibilitate, ut extra idipsum versentur (3). — Itidem ad cœtum *Prædestinatorum* ordinatur *tanquam medium ad finem*, quem habet præparandum; ideoque ii ad eam recolligi atque ad illius corpus, quantum fieri poterit, aggregari debent; sed tamen fieri potest ut quidam eorum ab eâ hîc et nunc exulent, sicuti v. g. S. Paulus, qui certè prædes-

(1) V. Mœhler : *La Symbolique*, t. II, loco cit. ac speciatim p. 419.

(2) Atque eo sensu S. Augustinus : « Intra istam aream (Ecclesiam videlicet catholicam) boni et mali esse possunt : *extra eam boni esse non possunt.* » (*De Unico Bap.* c. XVI, n. 30).

(3) Et cfr eundem S. August. tum circa hæreticos bonæ fidei : *Epist.* 43 *ad Glorium...* n. 4 ; — etc. cit. ap. Migne, loco suprâ indic. *Theol.*, t. VI, p. 1246 ; — tum circa excommunicatos immeritò : *De Verâ Relig.*, c. VI, n. 41 ; itemque *Epist.* 78, n. 4 ; *Epist.* 250 *bis*, *ad Classicianum*. — Cavendum est autem ne ii *de Ecclesiâ simpliciter esse* dicantur, eo nempe prætextu quòd *ad animam ejus pertinere*, per supradictam figuram sermonis, dici soleant. Sedulò enim memorandum est *Ecclesiam* simpliciter dictam significare essentialiter *Corpus* visibile, nec dici posse æquivocè, ut hodie quandoque fit ab incautis prædicatoribus vel catechistis, de *Animâ* ejus. Hinc enim multi parùm in theologiâ versati facilè sibi persuaderent Ecclesiam non haberi integram, nec etiam forsân suam exercere validè auctoritatem, absque iis qui inculpate à Corpore ejus exulare videntur : quod totam certè Christi institutionem, totum Christianismum pessumdaret. Unde cfr suprâ, p. 285, *not.* 2.

tinatus erat, neque tamen sanè de Ecclesiâ dici potuit tunc quando illam persequeretur (4). — Unde profectò magis ac magis patet nostra thesis.

**§4. — II° Confutantur ii qui Ecclesiam fingunt syncretistam et indeterminabilem.** — Ex eo quòd Ecclesia Christi sit essentialiter *societas*, prout exposuimus, ii etiam omnes confutati manent qui Ecclesiam finxerunt ex omnibus componi hominibus sive hominum cœtibus qui certum quemdam numerum articulorum vel observantiarum admittunt, etiamsi nulli communi Auctoritati sive quoad doctrinam sive quoad disciplinam subjiciantur. — Quod systema in recentioribus præsertim sæculis celebre evasit ac ferè omnibus A catholicis palmare ; qui ideò *syncretistæ* jam dici possunt, utpote Ecclesiam è variis communionibus coagmentantes.

Et quidem est principium à nobis minimè negatum, doctrinam scilicet Christi, utpote inexhaustæ fœcunditatis, non quoad omnia simul nec ab omnibus æqualiter percipi posse, atque inde nullam è variis christiani nominis communionibus existere cujus membra in interpretatione omnium omninò Christi verborum perfectè concordent, nec ipsam certè communionem Catholicam, in quâ nimirum videre est, v. g., *Thomistas* et *Molinistas*, etc. Verùm, ubi agitur de determinandis punctis in quibus Christi discipuli consentire debent ut membra Ecclesiæ Ejus legitimè haberi possint, jam non ex ullius Auctoritatis ecclesiasticæ judicio hanc determinationem repeti volunt, sed ex aliquo tantum criterio pro libitu ipsorum admissio. Atque hoc etiam ita ponere allaborant ut quidquid ipsis displicet in punctis apud Catholicos pro essentialibus habitis, jam non essentialia reputandum sit;

(4) Hoc tamen dixit J. Hus, *Prop.* 2<sup>a</sup>, inter damnatas, loc. modò cit. ap. Migne *Theol.*, t. VI, p. 657.

et sic, quantumvis à Catholicis repulsi, cum illis tamen sese in partem veræ Christi Ecclesiæ venire et hujus dotes ac privilegia participare prædicant (1). — Ea est methodus omnibus Syncretistarum systematibus communis.

(1) Hæretici quidem veteres, qui, è contrà, Ecclesiæ nomen ac privilegia sibi separatim vindicabant, quosque ideò *separatistas* jam nuncupavimus (p. 250), sua quoque essentialia doctrinæ vel disciplinæ puncta aliter haberi volebant quàm ex Auctoritatis ecclesiasticæ judicio determinata; verùm, ut Catholicos ab Ecclesiâ excluderent, plura generalim affectabant pro essentialibus ita habere quæ Catholicis non essentialia habent vel etiam repellunt. Ita, v. g., Novatiani, Donatistæ, etc., de quibus suprâ. Ita, aliâ ex parte, Photius et Michaël Cerularius, Græci Schismatis auctores (V. Blanc: *C. d'hist. eccl.*, leq. CIV, 2; CXVII, 4). Neque ferè aliter egerunt primi Protestantés, usquedùm sentirent nequaquam se posse ab argumentis expedire adversariorum postulantium, nempe, ubinam Ecclesiæ eorum perpetuitas, ubinam catholicitas, etc. (V. Bossuet: *III<sup>e</sup> Avertissement aux protestants*, n. 18), etc. Inde igitur excogitaverunt Syncretismi systema (de cujus antecessoribus multa V. ap. Veron: *Méthodes de controverse*, II<sup>e</sup> p., 1<sup>e</sup> *controv.*, et 2<sup>e</sup> *controv.*, sub initio; — Nicole: *Unité de l'Eglise*, préf. p. 5; — Bossuet: *H. des Variat.*, l. XV, n. 52; — Blanc: *C. d'hist. eccl.*, leq. CLXVII, 4, 5), quod suum denique fecit et adornavit Jurieu, sub nomine *Systematis Articulorum fundamentalium*; atque exhibic omnes ferè hæretici vel schismatici, etiamsi non expressè fateantur, Jansenistæ plerique, Constitutionalistæ anni 1791, ac nuperrimi *Veteres Catholicis*, quin et ipsi etiam Græci, ut postea videre erit, eandem ingressi sunt viam tanquam apertum sibi perflugium.

Observandum est cæteroque, quòd Syncretistæ generalim, dum quædam tantùm puncta ita ad Ecclesiam participandam necessaria esse asserunt, non ideo necessariò contendunt, *theoricè saltem*, cætera puncta negligi aut negari posse ex indifferentiâ, ut aliquando Jurieo exprobratur sed non ad eò rectè, quippe qui contrarium satis apertè declarat (*Le vrai système de l'Eglise*: l. I, ch. XXI-XXII; edit. 1686, p. 166, 174, etc.), itemque Chillinworth, Hobbius, Lockius (ut vid. ap. Regnier: *De Eccl.*; *Theol. Migne*, t. IV, p. 253; et cfr *Dém. évang.*, t. IV, p. 504): contendunt enim tantùm neminem, quæcumque de iis punctis sentiat, ideo ab Ecclesiâ exclusum haberi posse: quemadmodùm apud Catholicos ab Ecclesiâ exclusus non habebatur is qui, paucis abhinc annis, negabat Immaculatam B. M. V. Conceptionem vel Infallibilitatem papalem. Ex quo videre est istud systema reprehendendum esse non quòd aliquam essentialium et non essentialium distinctionem admittit; — aliqua enim hujusmodi distinctio necessaria est

Ubi autem ad criterii explicationem et punctorum essentialium seu, ut aiunt, *fundamentalium* determinationem deveniendum est, jam videre est quantâ impossibilitate laborant, et quot inde varia systemata, ad laxandum præsertim plùs minùsve Ecclesiæ sinum, fuerunt excogitata. Quæ tamen ad duplicem typum, ut ita dicam, præcipuum reduci possunt, videlicet: 1<sup>o</sup> ad systema Jurieo, quod omnem in Ecclesiâ auctoritatem tollit, proindeque societatem impossibilem reddit; — et hoc est à plerisque Protestantibus admissum: — 2<sup>o</sup> ad systema *Vix mediæ*, quod auctoritatem quamdam *de jure* quidem admittit, *de facto* autem tollit, proindeque societatem etiam reddit impossibilem; — et hocce est hodie præsertim inter Anglicanos satis vicens, imò et re, si non nomine, apud Græcos.

**85. — De systemate Jurieo.** — Jurieu ea omnia et sola vult haberi ad Ecclesiam participandam necessaria, quæ ad salutem etiam necessaria sunt *necessitate mediæ*, i. e., quorum ignorantia *etiamsi inculpabilis* salutem, prout illam Christiani intelligunt, reddit impossibilem (1)

et à nobis ipsis admittitur; — sed quòd hanc distinctionem non è vero suo repetit criterio, è judicio scilicet ecclesiasticæ Auctoritatis, ideòque ad falsissimas inde adducitur conclusiones, uti mox videre erit. — Nempe, ut ait S. Augustinus (*Sermo* 294, contra Pelagianos, n. 20): « Ferendus est » disputator errans in aliis quæstionibus non diligenter digestis, nondùm » plenâ Ecclesiæ auctoritate firmatis; ibi ferendus est error: non tantùm » progredi debet ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quater molia- » tur. »

(1) Hoc esse totum Jurieo principium multi quidem controversistæ non advertisse videntur, ideoque rem mirificè intricant, sed indubiè deprehendere est perlegendò ipsius opp.: *Le vrai syst. de l'Egl.*, v. g., p. 166 et passim, maximè autem: *Tr. de l'Unité de l'Egl. et des Points fondamentaux*, tr. VI, ubi, v. g., ch. II, p. 519 (edit. 1688): « Je lui demande » (à M. Nicole) qu'est-ce que les articles de foi qui sont nécessaires de » *nécessité de moyen*, dont la foi et la connaissance distincte est néces- » saire pour être sauvé, et sur lesquelles l'ignorance involontaire ne sau-

Verùm 1<sup>o</sup> ea puncta clarè et indubiè determinare non potest : nec mirum ; id enim omnes eujuslibet communionis theologi valde operosum tenent ; neque certè multùm in id juvabunt regulæ variæ quas Jurieu pro criterio successivè proferre tentat. — Ille nempe 1<sup>o</sup> asserit eos solos fidei articulos pro fundamento Ecclesiæ habendos esse, qui *necessarii sunt ad gloriam Dei et beatitudinem hominis* (1) ; — quod sanè ad enuntiationem principii valere potest, non autem ad explicationem. — Addit itaque 2<sup>o</sup> illos ita fundamentales habendos esse articulos qui *semper recepti sunt apud omnes notabiles Christianorum communiones* (2) : — quod iterùm determinandum relinquit quænam communiones *notabiles* ; quænam etiamnum *christianæ* habendæ sint ; atque insuper fidei Ecclesiæ essentialis restrictionem vel extensionem pendere facit à majori minorive audaciâ cujusque notabilis hæreticorum sectæ. — Tandem 3<sup>o</sup>, eodem auctore, ii essentielles erunt articuli quos ita habendos suadet *gustus interior per Spiritum Sanctum inspiratus*, — vel quos *anima suis naturalibus desideriis sufficere sensit* (3), etc., etc. ; — quod sanè

» rait excuser ? Ne sont-ce pas les fondements de la religion chrétienne ?  
 » Qu'il y a un Dieu, qu'il est rémunérateur de ceux qui le craignent, qu'il  
 » y a un Rédempteur, que Jésus est le Messie, que par lui nous avons la  
 » rémission des péchés, la grâce et la vie éternelle ? Voilà précisément  
 » mes points fondamentaux. » — In quod V. Du Perron supra cit., p. 43.

(1) *Le vrai syst. de l'Egl.*, l. I, ch. v, p. 209.

(2) *Ibid.*, l. II, ch. I, p. 237.

(3) Ita jam min. Claude, cit. ap. Nicole : *Les prétendus réformés....*, ch. xi. Illum etiam probat ac sequitur Jurieu (*Le vrai syst. de l'Egl.*, p. 503, 505). « Les articles de foi de la religion chrétienne prouvent leur suffisance par eux-mêmes, comme ils prouvent leur importance. Et je n'ai pas besoin de trouver des passages qui me disent : Ces articles sont suffisants, ou, ils ne le sont pas. M. Claude l'avait très-bien dit : quand un objet remplit tous les désirs naturels de l'âme, il est suffisant. » — Nec alio hodie criterio uti videtur D. Guizot, qui nempe, postquam enumeravit dogmata omnibus, ut putat, verè Christianis communia, « la création,

nihil aliud est ac unumquemque finaliter remittere ad suum arbitrium, proindeque nullum reipsà dare criterium ad distinguendum in quo consistat fides aut praxis Ecclesiæ essentialis. Unde patet, summam, Ecclesiam ad sensum Juriei intellectam manere reapse *indeterminabilem* (1). —

» la providence, le péchel originel, l'incarnation et la rédemption. » —  
 « C'est là, inquit, l'essence de la religion chrétienne, et, pour moi, qui  
 » conque croit à ces dogmes, est chrétien » (quod certè multi Protestantium nimis strictum et arbitrariè positum inclamabunt) — « Un grand et  
 » commun caractère me frappe d'abord dans ces dogmes : ils abordent et  
 » résolvent franchement les problèmes religieux naturels à l'homme... Le  
 » système est grand, complet (?...), bien lié, puissant : il répond aux ap-  
 » pels de l'âme humaine, la délivre du fardeau qui pèse sur elle, et lui  
 » donne avec les forces qui lui manquent, les satisfactions auxquelles elle  
 » aspire. » (*Médit. sur l'essence de la Rel. chrét.*, 2<sup>ème</sup> éd., p. 17). —  
 In hæc V. dicta supra, p. 44, et cfr ea quæ jam observaveramus in *Tr. de Verè Relig.*, p. 76, 3<sup>o</sup>.

(1) Hinc D<sup>us</sup> Bost, Protestans *latitudinarius*, ita ad Protestantem orthodoxo queritur : « Peut-être que tout en nous croyant les disciples du  
 » Christ, nous sommes en réalité sortis de son Eglise ; mais alors, de  
 » grâce, qu'on nous le montre, en donnant une définition authentique, une  
 » idée vraie du christianisme. » (*Le Lien*, 16 févr. 1861, cit. ap. *Bulletin de S. François de Sales*, 1863, p. 271). — Ipse tamen Jurieu illam Christianismi sui essentialis ideam, ac consequenter *Ecclesiæ* seu potius *Collectionis* suæ determinationem accuratam dare intendit, imò et strictiorem in hoc se ostendere multis theologis catholicis, ut ipse gloriabundus observat : « La différence qui y est, se trouve être à mon avantage. C'est que  
 » l'Eglise romaine souffre dans sa communion et regarde comme catholiques  
 » plusieurs docteurs, qui réduisent les points nécessaires de *nécessité de*  
 » *moyen*, à celui de croire en Dieu sans connaître Jésus-Christ, ou con-  
 » naître un Jésus-Christ en général sans savoir s'il est Dieu ou homme. Et  
 » moi je ne souffre point de semblables gens dans ma communion, je leur  
 » dis anathème, je les mets dans les sociétés mortes, entre les membres  
 » morts. Ainsi ma théologie sur les points fondamentaux est bien plus ri-  
 » gide et moins relâchée que n'est celle de l'Eglise romaine. » (*Tr. de l'Unité de l'Egl.* loc. cit., p. 521 ; cfr p. 511). Et ille reapse fidem explicitam Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis exigebat tanquam *fundamentalem* (*ibid.*, ch. III, p. 526), et Socinianos consequenter ab Ecclesiâ suo modo intellectâ excludere perinde ferè ac Mahumetanos (*Le vrai syst. de l'Egl.* 1<sup>o</sup> p. ch. XIX, p. 147, 148, etc.). — Exinde autem ipsius successo-

Et quidem non esse potest cur in eâ determinandâ adeo insudaret; etenim

II°, etiamsi Jurieu puncta fundamentalia, suo more intellecta, clarè et indubitanter determinasset, Ecclesia in communi tantum eorum professione fundata non alia cer-

res latius semper atque latius sinum Ecclesiæ suæ laxarunt (V. ap. Murray: *Tr. de Eccl. Disp. VI, n. 59 et ss.; 414 et ss.*). Et primum quidem multi eorum, ut v. g. Lockius (*Le Christian. raisonnable*, insertum ap. Migne, *Dém. évang.*, t. IV; sed cfr t. XVIII, *Révision des dém. év.*, p. 1025), jam solâ contenti fide in missionem divinam Christi, Socinianos consequenter in Ecclesiam admisere; imò, si consequentes fuissent, admittere debuissent Mahumetanos. — Alii etiam, ulterius abhinc progressi, solam jam satis habent qualemcumque fidem in Deum vel etiam aspirationem in *Ideale*: unde non Deistas modò sed Pantheistas etiam et Atheistas videre est jam Ecclesiæ Christi membra se ferre, imò nonnunquam et Ministros; modò Christum profiteantur ne prophetam quidem sed magistrum atque antecessorem, more permagni alicujus philosophi cujus placita liberè sequantur, Christianos eodem ferè modo se habentes ac Kantianos vel Hegelianos. Ita v. g. apud Germanos « *les Amis Protestans, les Amis de la lumière* », de quibus V. D. Eug. Rendu, ap. *le Correspondant*, août 1855. — Ita et D. Buisson, fundator « *de l'Eglise libérale* », in quodam Manifesto, a. 1869, à non paucis nec infimis apud nos Ministris probato: « ... S'il se trouvait même des hommes qui prétendissent être athées, et qui néanmoins prissent, comme les autres, le sérieux engagement de participer de toutes leurs forces à cet effort moral que supposent les mots culte du bien et amour de l'humanité, l'Eglise libérale devrait les recevoir au même rang que tous leurs frères, non comme athés, mais comme hommes. » — Et vero ea certè omnia jam conciliari possunt cum hac *elasticâ* definitione à Synodo Lausanniensi, a. 1857, editâ: « Le chrétien, c'est celui qui se réclame de Christ. » (Ap. D. Martin: *De l'avenir du Protest. et du Cathol.*, p. 24).

Contra excessus illos *latitudinarismi*, seu *Protestantismi*, uti dicere se affectat, *liberalis*, multi quidem, inter quos imprimis D. Guizot, vehementer reclamant, *orthodoxiæ*, ut aiunt, nomine. Quid verò? et quonam jure Christianismum circumscribent termino quem nonnisi arbitrariè ponere possunt? . . . — Nec mirum certè si jam, inter Protestantes nostros, quæstio in hoc præcipuè ponatur et vividè agitetur, utrùm nempe unitas communionis fundanda sit in aliquâ tantisper communi fide, an tantum in quâdam exteriori disciplinæ communitate.... (V. recentes discussiones Ecclesiarum Galliæ reformatarum).

tè esse poterit ac collectio quædam informis, pluribus constans tum individuis tum societatibus particularibus nequaquam inter se conjunctis, imò forsan divisis *usque ad anathemata mutua et interneciones* (1); neque certè ullam in communi actionem exercendam habebit, nec enim posset (2). — Atqui talis profectò Ecclesia toto cœlo differt ab illâ quam Scriptura et Traditio unicè nôrunt, quamque nobis perhibent ut in toto Tractatu videre fuit, tanquam propriè dictam *societatem*, uno communi ore loquentem, unâ communi actione agentem (3). — Ergo systema Juriei, vel quodlibet huic affine, nequaquam admitti potest.

(1) « Nous voulons que l'Eglise appelée catholique et universelle soit » répandue dans toutes les sectes, et qu'elle ait de vrais membres dans toutes celles de ces sociétés qui n'ont pas renversé le fondement de la religion chrétienne, fussent-elles en désunion les unes avec les autres jusqu'à s'excommunier mutuellement. » (Jurieu: *Le vrai syst. de l'Egl.*, l. I, ch. x, p. 79). — « Toutes les sociétés qui conviennent en quelques dogmes, en cela même qu'elles conviennent, sont unies au corps de l'Eglise chrétienne; fussent-elles en schisme les unes contres les autres jusqu'aux épées tirées. » (Id.: *Préj. leg.*, p. 4, cit. ap. Bossuet: *Variations*, l. XIV, n. 53).

(2) « L'Eglise universelle ne juge point; elle ne décide pas; elle n'a pas de tribunal; elle ne peut pas s'assembler... L'Eglise universelle ne prêche point; elle n'enseigne pas, elle ne saurait instruire, non plus qu'elle ne peut juger et décider; ce sont les Eglises particulières qui font tout cela. » (Jurieu: *Le vrai syst. de l'Egl.*, p. 233, 235). — Inde quidem protestantico viro unum satagendum est, scilicet, ut particulari illi adhæreat societati quam judicaverit magis doctrinæ Christi conformem (non enim alicui alii contra conscientiam adhærens, etiamsi adhuc intra universalis Ecclesiæ septa, salvari valeret, ut ipse agnoscit Jurieu: V. supra, p. 292). Quænam verò aliæ, ex iis particularibus societatibus, habeant adhuc vel non habeant media strictè necessaria ad salutem, id jam linquere poterit judicio Dei, sicut et quænam proinde adhuc queant nequeantve dici partes universalis illius Ecclesiæ, à quâ nempe nihil exspectandum habet. Et ita reverà se gerunt quotquot Protestantes, ne dicam profectò magis ad Christi mentem appropinquantes, sed magis certè sibimet consequentes.

(3) V. Nicole: *De l'Unité de l'Egl.* l. I, ch. ix.